

me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Iste pauper clamabit, & Dominus exaudivit eum: & de omnibus tribulationibus salvabit eum. Psal. 5. At te orabo: mane exaudies vocem meam. Mane adstabo tibi & videbo. Quo vero anima nostra à mūdo recedit longius, eo familiarior Deo efficitur: haud aliter quam Patriarcha Jacob cum à liberis & cognatis suis peregrineretur, cum Deo & illius angelis colloquia miscuit. Neque enim verbis ullis exprimi satis potest, quanto amore Deus & beatæ mentes sanctam aliquam animam complectantur.

CAPUT XXIV.

DE CHARITATE DEI ET proximi.

I. Tim. I. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*

Hoc pronunciato B. Paulus nobis virtutum nobilissimã, puta Charitatem describens, quatuor præcipue circa illã inculcat. Primò quod sit finis præcepti sive breviarium & epitome omnium mandatorum; quia nimirum per hanc tota lex impleatur, quia in illa omnia mandata cõtineantur,

tur,